

& XXI. scru. Libræ, ubi ferè tpe obseruatiõis nostræ reperiēbat.

Oblīquitas autem zodiaci & declinationes eam habent rationem, quòd cum scrupula proportionum fuerint LX, excessus in Canone declinationum sunt appositi, differentiæ inquā sub maxima minimaq; obliquitate, in solidum adduntur suis partibus declinationum. Hoc autem loco unitas illorum scrupulorum addit obliquitati tantummodo secunda XXIII. Quare declinationes partium signiferi in Canone positæ, ut sunt, durant hoc tempore propter minimam obliquitatem iam nobis appetentem, mutabilis aliàs euidentius. Quemadmodum uerbi gratia, si anomalia simplex fuerit XCIX partium, qualis erat in annis Christi DCCCLXXX. Ægyptijs, dantur per ipsam scrup. proportionum XXV. At sicut LX scrup. ad XXIII, differentiæ maximæ & minimæ obliquitatis, ita XXV. ad X. quæ addita XXVIII, colligit obliquitatem pro eo tempore existētem part. XXIII, scrup. XXXVIII. Si tunc quoq; alicuius partis zodiaci, utpote tertij gradus Tauri, qui sunt ab æquinoctio grad. XXXIII declinationem nosse uelim, inuenio in Canone partes XII, scrup. XXXII, cum excessu scrupulorū XII. Sicut autem LX ad XXV, ita XII ad V, quæ addita partibus declinationis faciunt partes XII, scrup. XXXVII, pro XXXIII gradibus zodiaci. Eodē modo circa angulos sectionis zodiaci & æquinoctialis, ac ascensionēs rectas facere possumus, si non magis placeat per rationes triangulorū sphaericorum, nisi quòd addere illis semper oportet, his adimere, ut omnia pro tempore prodeant examinatiores.

De anni Solaris magnitudine & differentia. Cap. XIII.



Qvod autem præcessio æquinoctiorū conuersionū sic se habeat, quæ ab inflexione axis terræ, uti diximus, motus quoq; annuus centri terræ, qualis circa Solem apparet, de quo iam differendū nobis est, cōfirmabit, sequi nimirū oportet, ut cum annua magnitudo ad alterum æquinoctiorū uel solsticiorum fuerit collata, fiat inæqualis, propter inæqualē ipsorū terminorū permutationē: sunt em̄ hæc cohærentia inuicem, Quamobrē separādus est nobis, ac definiendus